SEX. AELII ACROPOLITANI
AD
EUMENEM PARTHENIUM
EPISTOLÆ.

MDCCX.

EPISTOLA V.

SAtis pro merito exagitari nequit illorum stupor, qui artem criticam è literariâ republicâ eiiciendam esse arbitrantur; eâ namque pulsa, & ordo temporum, & rerum gestarum series subverteretur: & in eundem errorem, quò aliquis hominum semel fuisset abreptus, omnes ad instar pecudum semper præcipites ruerent. Sed an stupor, an calliditas sit multum sanè dubitandum. Illi, cum vix à limine literas salutaverint, & informes ingenii fœtus temerario impetu fidenter edant, sub emunctæ naris censore timent in judicium vocari, ne laudibus, arbitrio popularis auræ consecutis, cedere per sententiam cogantur; & cum obiter tantum, & perfunctoriè cuncta perlustrent, malunt oscitantiæ authorum, vel scribarum incuriæ, quam eruditorum hominum castigationibus fidem adhibere: ne aliorum studio, & industriâ, ad expurgandas, quæ sæpius insident scriptis, mendas, ac labes, indigere videantur. Hoc illud est, o Eumenes, pro Junone velle nubem fovere: & inventis frugibus glandes moroso animo præferre. Verum enimvero quantum ab eis doctissimus Mozzius familiaris noster dissentiat, ex illius ad Lectorem epistola, Historiæ SS. Crescii, & Sociorum Martyrum præpositâ, manifesto colligitur; ea namque testatur, eruditissimas quorundam criticas observationes in causa fuisse, ut serò desideratum Opus in lucem ediderit; atque ultro in Præfatione fatetur, illas sibi maximo adjumento fuisse, ut oppressam tot seculorum pondere veritatem erueret. Acta eorundem SS. Martyrum circa undecimum à Christo nato sæculum concinnata fuisse: Annum 249. minimè illorum passioni convenire: Decium tunc temporis Florentiam non

acceſſiſſe conſentit. Multa tamen, eaque ex optimæ notæ MSS. deſumpta, luculenter exponit, ad confirmandam hujuſmodi Actorum ſinceritatem. Libros, longo ſtudio, ac labore quæſitos, & tamquam teſtes ad controverſias dirimendum adhibitos in duas dividit claſſes: nempe in Martyrologia, ac Lectionaria, pluribus ab hinc ſæculis in uſum Eccleſiæ Florentinæ exarata: Eadem præ vetuſtate, ac diligenti ſcripturâ minimè reputari poſſe ſuſpecta, aut parvi ponderis, & momenti prudenter animadvertit; cum ſatis ſuperque ex probatiſſimis authoribus conſtet, haſce inſignes antiquas notas plurimi ſemper in Eccleſia fuiſſe habitas; & ſedulo quovis tempore in id Epiſcopos incubuiſſe, ne falſa, atque apocripha Sanctorum nomina, & acta ſacris templorum tabulis, & codicibus deſcriberentur. Quapropter, & ſi Acta SS. Creſcii, & Sociorum, quæ modo extant, nequaquam Proconſularia, eorumque paſſionis ævo cenſeri debeant elucubrata: adhuc tamen priſcorum Actuum veritati conſentanea eſſe concedendum exiſtimat; ſiquid enim nævi nitidiſſimus veritatis candor præſefert: hoc forte irrepſit ex piis nonnullis allocutionibus, quibus Acta ipſa in formam Panegyris aliquando redacta fuere ad extollendas Martyrum laudes, & majorem conciliandam venerationem, cum eorum ſolemnia quotannis celebrarentur. Nec purgatiſſima, quævis oculorum acies paucis debet offendi maculis nuper exortis, ubi plura atque plura nitent rerum geſtarum lumina, vetuſtiſſimæ traditionis fonte deducta: quam quidem traditionem maximi ſemper fecit Eccleſia, & Catholici ſcriptores, ſanctique Patres unanimiter commendarunt, ut innumeris ferè exemplis, & auctoritatibus ad ſatietatem demonſtrat. Quod autem in iiſdem Actis nomen deſideretur Authoris, parum, aut nihil referre putat; quandoquidem, & ſi notam hanc

plu-

plurimum laudet Baronius, non tamen omnibus actis, vel qualibet levissimâ depravatione carentibus, eam ex Bollando, ejusque Continuatoribus, inesse ostendit. Potuit tamen fieri, ut aliquando nomen hoc in Prologo legeretur, sicut plerumque occurrit in aliis similibus actis; Sed illius initium, tanquam totius historiæ caput, evidenter obtruncatum apparet. Quæ de Imperatore Decio, Florentiæ commorante, tradita fuerunt, minimè ait Actorum veritati resistere. Reponendum quippe pro Decio illius Præfectum non insolenti emendatione prudenter existimat; audaciori siquidem calamo pristinæ sinceritati reddita fuerunt Acta S. Ceciliæ, & S. Laurentii, in quibus olim legebatur, illam sub Alexandro, non autem sub Commodo: hunc sub Valeriano, non autem sub Decio, Martyrii coronam accepisse. Præterea subdit, minimè Actorum fidei chronologicum quempiam errorem obesse; siquidem, expuncto anno 248. vel 249., annus 250. vel 251. potest assumi, quibus Deciana persecutio maximè efferbuit: ut factum fuisse cernimus in corrigendis similibus erroribus, quorum latè suppetunt exempla, tam apud sacros, quam apud prophanos scriptores; inter quos nulla acrior contentio, quam de iis, quæ ad chronologicam supputationem pertinere videntur. Ab insolentia, novitate, & singularitate nominum Crescii, Omnionis, Emptii, Cerbonis, ac Serapionis facili negotio se se insuper expedit; nam & Martyrologia ipsa habent alia quamplurima inusitata, & ferè etiam hæc eadem, nempe Domnionem Martyrem, duplicem Cerbonem, Serapionemque Antiochenum Præsulem, & Crescium seu Criscum primum Archiepiscopum Moguntinum, de quo latè Serarius Rer. Mog. lib. 2. c. 1., Mozzii nostri, quantumvis diligentissimi, non adhuc ante oculos obversatus. Tandem probatorum codicum astipulatio,

im-

immemorabilis eorum usus in Florentina Ecclesia, Lectiones novem, propriaque Missa in honorem D. Crescii, tres antiquissimae Ecclesiae eidem Martyri nuncupatae, & Sacra illius, & Sociorum ossa decenter asservata, ad eluendam quamlibet falsitatis suspicionem, jure optimo sibi satis esse videntur. Haec atque alia permulta, Historiam Ecclesiae S. Crescii ad Vallem cavam subnectens fidelitèr, & accuratè, sine praejudicio, ac sine fuco recenset. Nonnullae difficultates, quae, ut ipse ait, ab eruditissimis Viris excitatae fuerunt, non asperitate sermonis, non grandi supercilio, sed aequanimitate, ac modestia sapientissime solvit. Laudandum sanè de eo judicium ab Authoribus Ephemeridum Literatorum Italiae nuper prolatum; ajunt enim *tuta illum via processisse, ne in errorem incideret*. Habeas igitur hanc diu expectatam, ut ita dicam, Mozziani systematis graphidem. Ego non minus illius Doctrinam, quam ingenuum, & fortem animum vehementer demiror; nulla enim alienae virtutis praejudicatus opinione, cuilibet tantum tribuit, quantum ratio ipsa suadet. Postquam Fabium Senatorem Romanum, & antiquissimum, & magnae auctoritatis Historicum Polybius refutasset, acriter invehitur in eos, qui magnis scriptorum nominibus, & librorum titulis nimium tribuentes, *ad narrantem potius, quam illa quae narrantur, animum advertant: & quicquid ab eo dictum est pro fide digno protinus arripiunt*. Credas velim hujusmodi objurgationem nostris aetatibus plurimum convenire. Crimen est conjecturis suis in Authores de re literaria benemeritos temere grassari; crimen est unius, aut alterius errati causa publicè illos traducere; crimen est vel graviter peccantes jurgiis, conviciis, & maledictis afficere; *Sed quis audeat dicere*, ut graviter Augustinus, *adversus mendacium in defensoribus suis inermem debere consistere veri-*
ta-

tatem? Certè, ficut & ipfe Mozzius prudenter autumat, quicunque primum fupradictis actis, aut actorum commentario fuam fymbolam adiicere, non in fcirpo nodum inveniendi ftudio, fed aftruendæ veritatis defiderio compulfi fuerunt. Ad tuendum pro viribus contra Hæreticos obtrectatores, decus Romanæ Ecclefiæ, facramento omnes catholicæ pietatis adftringimur. Quapropter, ne uno Magdeburgenfium ore nobis iterum obiiceretur: *O efficacem illufionem, prædictam à Paulo, & comparatam ad horrendas idolomanias ftabiliendas! O credulos, & ftupidos homines!* quæ Sanctorum Martyrum monumentis irrepferant, nonnullorum incuria, feu forfan infcitia, concordes rejecerunt, ac emendarunt. Illis tamen vitio vertitur religionis officium: nec citra debitæ venerationis injuriam exerceri potuiffe contenditur. Deleantur ergo ex albo Hiftoricorum Ecclefię Baronius, Henfchenius, Papebrochius, Tillemontius, Ruinartus, cæterique præclariffimi Scriptores, qui exemplo Hieronymi, aliorumq; SS. Patrum, figmenta quamplurima detegerunt, ac reprobarunt: *Stulti aliquando fapite*: Nonnullis SS. Martyrum Actis omnimodam negare fidem, non eft Martyribus negare obfequium. Crefcius, ejufque Socii certè pro Chrifto, obierunt; & ad eorum veneranda fepulchra, quæ Regia Celfitudo Sereniffimi Cosmi III. Magni Ducis Etruriæ, ingenti auro, & pretiofis exornavit lapidibus, omnes animadverfionum Authores, vel illas quomodocumque approbantes, humili, ac devoto corde procumbunt; ibique Ambrofii verbis ita obteftantur: *Honoramus in carne Martyris exceptas pro Chrifti nomine cicatrices: Honoramus viventis memoriam perennitate virtutis: Honoramus in cineribus femina æternitatis: Honoramus corpus, quod nobis Dominum oftendit diligere, quod nos propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem*

non

non honorent Corpus illud fideles; quod reverentur & dæmones? quod & afflixerunt in supplicio, sed glorificant in sepulchro? Honoramus itaque corpus, quod Christus honoravit in gladio, quod cum Christo regnat in Cælo. Præterea si suas crederent preces, & obsecrationes aliquid ponderis esse habituras, supplici libello eas unanimiter exponerent Sacræ Rituum Congregationi, ut votis ipsius piissimi Magni Ducis, gloriamSS. Martyrum adaugère quærentis, annueret. Nemo enim ex illis vel à Deo, vel à Principe (quamvis aliter vociferentur stultissimi calumniatores) descivit, patefaciendo veritatem: *quâ unà*, sicut Augustinus testatur, *sanctæ animæ illustrantur*. Vale.

Mc